

missarij seu Vicarij tales fuerint, nihil erit ex eorum precipitatione timendum. Quia verò esse Generales Vicarij possunt, licet in Indiis illi non videantur esse in vfu; si forte contingat, cum illis Capitulum præfens non loquitur, dum supponitur eos, de quibus procedit, non habere facultatem ad mandata, vt dicitur, libranda; quod fecus in Generalibus asserendum. Sed ab omnibus Instructio ad vnguem obseruanda.

Circa Nonum.

53 **S**equenti tenoris: *Que los Oficiales, Comisarios, y Familiares de la Inquisicion, negocien del Fuero de la Inquisicion en los delitos que vbiere cometido antes de ser admitidos por Oficiales, Comisarios, y Familiares.* Vbi inquiri non immeritò potest an hoc ita sit generaliter accipiendum, vt nulla admittatur exceptio; sicut plures Doctores admittunt in Clerico, qui ante Clericatum delictum commisit: dicunt enim gaudere, quando sine fraude illum suscepit, aut dolo. Sic Couarrubias *Præfationum Quæst. Cap. 32. num. 4. §. Secunda conclusio*, cum aliis, quos citat. *Sequenti autem §.* tunc fraudem præsumi ait, cum quis post delictum commissum, & ante susceptum Ordinem, fuerit accusatus, vel denunciatus, aut sanè infamatus. Et responderi potest ita etiam pro casu præfenti verosimile apparere, quia Capituli huius dispositio in præsumptione fundatur, vnde indicia ad fundandam illam inquiruntur, sicut in affluente Ordinem Clericalem, de quibus P. Suarez *Libro 4. contra Regem Angliæ Cap. 15. n. 18.* Atqui in isto sola assumptio ad fundandam præsumptionem non sufficit: ergo neque in iis, de quibus agimus, arguendo satis verosimiliter à simili in genere immunitatis: & similitum eadem ratio est, vt satis notum ex *Cap. Inter corporalia de translat. Episcopi.* Licet enim argumentum hoc in privilegijs non valeat generaliter loquendo: bene tamen quando de fauore fidei & religionis agitur, vt sæpius dictum. Cum sit etiam probabile quomodocumque Ordinarum privilegio fori gaudere, vt videri potest apud P. Dicastillum *Lib. 2. de Insuper Tract. 2. Disputat. 4. num. 185.* Nihilominus sine scrupulo poterunt iudices absolutè contra dictos procedere, quia Capitulum sine distinctione loquitur, & sententia est quamplurimum ex solâ Clericatus susceptione fraudem præsumi, ex quibus Baldus à Couarrubias adductus, & alij apud Dianam *Parte 1. Tract. 2. Resolut. 27.* Quibus addendus Petrus Nuñez de Auendaño *de exequendis mandatis Cap. 22. numer. 7.* quem doctissimum semel & iterum vocat Couarrubias *suprà num. 4. §. Sed & tertio.*

Privilegiu fori iis, qui post delictum Officium suscepunt, non suffragari.

Pro parte opposita arguitur ex Clericatu.

Circa præsumptio securi vt sint iudices

Ne cursus tabellariorum impediatur.

Circa Decimum.

54 **S**ic procedens: *Que los Inquisidores no detengan los Corsos y Clases, y alien la prohibicion, que contra esto viene hecha, porque el Correo mayor les darà auiso quando partieren los tales Correos, como mando lo laga y cumpla.* Ratio huius dispositionis satis est comperta, ne scilicet communis regni correspondens ob libitum sic prohibentium cum generali iacturâ & molestiâ retardetur. Quod non tollit quominus in casu aliquo pecu-

liari id facere possint: quia generalis dispositio peculiarem contingentiam, in re præsertim momenti tanti, non excludit. Maior autem Tabellarius, is scilicet, qui in ciuitatibus eo munere fungitur, qui talis dicitur comparatione Curforum, eadem obligatione tenetur, quando in ea DD. Inquisitores assistunt: licet reuera Regis ad eos dirigi minimè videatur imperium, sed ad Prototabellarium, qui in vrbe primariâ residet, vt ex tenore adducto constat: nam in illis eadem ratio est, & lex ista non est poenalis, vt debeat tantum ad expressos arctari iuxta dicta *num. 12. Asserit. 13.* quia nullam poenam imponit: sed fauorabilis potius, vnde extendenda. Sed non ita vt Inquisitorum nomine debeant Commissarij intelligi: & sic à Tabellario maiori ciuitatis de discessu cursoris admoneri debeat, & ad eius nuntium missionem huiusmodi moderari. Quia Rex apertissimè cum Inquisitoribus loquitur, in quibus est diuersa ratio, & nulli debet onus imponi sine aperta pro eo ratione, vt dictum *suprà.* Casus autem singularis necessitatis excipitur: sicut enim licet nequeant illi carceribus quempiam mancipare, nisi re cum DD. Inquisitoribus participatâ; si tamen ineuitabilis adesset necessitas, id facere possent, vt tradit Cæsar Carena *Parte 1. Titulo 11. num. 6. & 7.* ita etiam in casu dicendum, de quo est sermo. Expediet autem tunc ad vitandas controuersias Magistratum vrbane facere certiore: nullus enim erit, qui non promptè & libenter obsequatur.

Circa Vndecimum.

55 **C**uius hic est tenor: *Que los Inquisidores de aqui adelante tengan mucha consideracion en proceder contra los Alguaciles Reales, y no los prendan, sino excusos raros y notorios, en que vbiere excedido contra el Sancto Officio.* Possunt ergo iuxta hæc DD. Inquisitores Alguacellos Regios incarcerare: quod quidem non procedit tantum in casibus ad Tribunal sanctum pertinentibus, in quibus generaliter omnes in carcerem conici possunt; de hoc siquidem dubium esse non poterat: sed ratione violati fori, quod ab iis fieri passim potest, dum Officialibus S. Officij vexationem inferunt, in carcerem trahentes, aut indebitis modis alijs molestantes. Tunc ergo vt in carcerari possint, duo pariter requiruntur, quòd scilicet id rarò fiat, & in excessu notorio: non ergo passim, etiam si excessus notorijs sint, in carcerem detrudendi. Ratio autem moderationis huiusmodi habendæ ex eo desumitur, quòd Inquisitionis carcer notam specialem infamæ affert, quando non discernitur ex quo id delicto contingat: tum etiam quia Alguacelli officium timide, & cum detrimento boni communis obibunt, dum incidere in aliquem timent, qui privilegio fori S. Officij potiatur. Licet ergo excessus notorijs aliquo modo sint; non est carceratio statim infligenda, sed poenis vtendum alijs, quas æquitas prudentiæ semper associanda dicitur: quæ valde Inquisitoribus necessaria est, vt eruditè persequitur, alijs citatis, Carena *Parte 1. Titulo 5. §. 23. & seqq.*

56 **Q**uid rarum sit, satis est notum, scilicet quod infrequens, quod vix aliquando accidit, iuxta

Qui in casu speciali.

Qualis extensio sit probanda.

Ad Commissarios non extendit.

Nisi in casu speciali.

De modo procedendi contra Regios Alguacellos.

Quid rarum in presentibus casu.

Circa Decimum-tertium.

Quid notorium.

Cap. Quæsitum, de cohabit. Cler.

Alguacellos maiores non comprehensos.

Circa prohibitionem pro nauibus, & recedentibus à Regno.

iuxta illud, *Rara autem in terris, nigroque similima Cygno.* Iuxta quod etiam à Tullio dictum in Libro de *Amicitia, Omnia præclara rara.* Quod autem sit notorium, & ipsum notissimum, & apud Doctores obuium, pro quo est expressa decisio in *Cap. Quæsitum, finali, de Cohabitation. Clericor.* vbi sic dicitur: *Nisi peccatum huiusmodi sit notorium, per sententiam, aut confessionem factam in iure, aut per euidenciam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit.* Sic Gregorius IX. Ex quibus notorietatis modis tertius proposito deseruit. Tunc autem nullâ tergiversatione celari potest, quando per idoneos potest probari testes, & planè probatum est, iuxta id, quod tradit Couarrubias *Lib. 3. Variar. Cap. 3. numer. 4. & 5.* Vnde necessarius non est ille notorietatis modus, quem ex alijs proponit P. Lessius *Lib. 2. Cap. 11. num. 3.* vbi ait notorium facti esse quod est in multorum præfentiâ perpetratum, vt in aliquo Conuentu, vel in loco publico, vt in foro, vel celebri plateâ, eo tempore, quo multis innotescere potuit: vel quod maiori parti viciniae passim ob oculos versatur. Licet enim in ordine ad effectus alios id debeat obseruari, vt in dispositione, detractio, &c. quando tamen de punitione ob bonum commune agitur, id sufficit, quod est dictum, & Pontificia declaratione firmatum. Alguacellorum autem nomine vulgares veniunt, non Maiores: ij enim inter eos computandi, qui incarcerari inconsulto Consilio nequeunt, nisi fortè domi suæ, aut loco alio decenti, vt videri potest apud D. Solorz. *cit. Cap. 24. n. 57. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 24. pag. 706. Col. 1. ex quo Dom. Villaroel Parte 2. Quæst. 14. art. 5. n. 144. & seqq.* Est enim officium illud valde honorificum, vnde & inter notabiles & honestas personas eo præditi numerantur.

Circa Duodecimum.

57 **Q**uod in hunc procedit modum: *Que los inquisidores alean la prohibicion, que viene hecha, de que ningun nauio salga del Puerto, ni persona ninguna parte del Reyno sin licencia suya.* Huius dispositionis conuenientia satis est comperta: non enim debet generale commercium ab Inquisitorum arbitrio pendere: neque est cur licentiam abeundi quis petat ab illis, apud quos causam pendentem non habet. In aliquo tamen casu aliter contingere potest ob specialem rationem occurrentem: id quod ex tenore Capituli non obscure colligitur: solum enim iubetur vt generalis prohibitio tollatur: ergo de speciali ratio est alia: sicut Doctores tradunt circa prohibitionem generalem in Conc. Trident. *Sess. 4. Cap. 6. de Reformat.* ne Vicarij generales Episcoporum ab hæretis occultâ absoluere possint, sicut possunt Episcopi: dicunt enim generaliter non posse, bene tamen ex speciali commissione, cum casus occurrerit; iuxta multorum sententiam, qui facultatem dictam existimant non esse per Bullam Cœnæ reuocatam, de quo alias. In his tamen casibus oportebit vt DD. Inquisitores de potentia absolutâ non procedant, sed Magistratus admoveant vt id boni consulant, & gratum habeant, eò quòd diuini seruitij causa specialis agatur.

58 **C**uius hæc verba: *Que suscediendo algun Inquisidor, ó Ministro de la Inquisicion en algunos bienes litigiosos por testamento, ó otro titulo, no se traygan los pleytos, que sobre ello vbiere, à la Inquisicion, sino que se determinen y acaben, donde fueren comenzados, ó vbiere de ir en grado de apelacion.* Iuxta hoc ergo, si Inquisitor reus, vel actor sit, & quilibet alius S. Officij Minister, coram iis debet litigare iudicibus, coram quibus, si officio non esset tali præditus, litigare debuisset. Et cum est actor, valde est id iuri conforme, quia actor sequitur forum rei. Cum verò reus, conforme est etiam æquitati; quia apud Inquisitorem ipsum litigantem nequit actor causam agere, cum lit pars. Apud Tribunal autè nimis onerosum est, tum ob dilationes inexcusabiles, eò quòd illud erga causas suo officio proprias occupatum sit; & quia multoties continget, vt vnus tantum Inquisitor sit, cum quo litigium habetur: tum etiam quòd minori eum libertate agendum est, ob peculiarem reuerentiam S. Tribunali debitam. Quibus accedit, si appellandum sit, moram esse immodicam sustinendam, cum ad supremum sit illa Consilium deducenda. Quæ rationes, licet magni momenti sint, & propter eas merito sit lex huiusmodi stabilita: quia tamen ad bona tantum, in quibus Ministri officij sancti succedunt, limitata est; in alijs debent oborea molestia deuorari. In illis enim Inquisitionis Ministri ad Tribunal sanctum possunt causas auocare, & actores apud illud debent reos conuenire.

59 **Q**uod quidem specialem difficultatem habet quando reus est Inquisitor, quia Inquisitor contra Inquisitorem agere nequit, vt cum alijs probat Carena *Parte 1. Titulo 5. §. 77.* Quid ergo faciat, qui ciuilem contra eum potest actionem intentare? Id tantum vt eum vrbane adeat, & iustitiam proponat suam, vel per alios moueat. Quo annuente, debebunt in conscientia arbitri designari: renuente autem, supremum Consilium adendum, & Evangelicum illud retinendum: *Patentiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Au autem Familiares Ministrorum nomine intelligantur, dubitari potest, quia in Hispaniâ id non videtur generaliter admittum, & pro speciali prærogatiua regni Valentie refertur Familiares de foro esse Inquisitionis, vt latè prosequitur Don Hieronymus Leo in *Decisionibus Regni Valentie, in 2. per totam.* Sed quidem cum pro Indiis id sit dispositum, quod vidimus, non erit id singulare Regni prædicti, cum habeatur exemplum, & pro illis esse possit ratio specialis. Quo obstante vsus consulendus, qui in Peruyio pro Ministris stat.

Circa Decimum-quartum.

60 **S**cilicet: *Que estando presos en la Inquisicion alguno, ó algunas personas, por algun delito, aunque sea de la ve, los Inquisidores no den mandamientos contra las Justicias para que sobre sean, ó*

Circa litigia pro bonis, in quibus succedunt Inquisitores, quod tenendum forè.

Circa alia locum adductas pro illis rationes.

Quid cum Inquisitor est in illis pars litigans.

Familiares Ministrorum an gaudeant eorum privilegio.

Causas pccatorum non auocandas.

parenem los pleitos, que los tales presos tubieren ante las tales Justicias. Ratio est, ne pars, cum qua litigium agitur, huiusmodi fori mutatione molestiam patiatur. Est autem illud luri communi conforme. Canonico in Cap. Proposuiti, de foro competenti. Ciuili. L. Si quis postea, de iudic. & L. Vbi captum est. D. de iurisdiction. omn. iudic. Quibus non obstantibus in fauorem fidei potuit aliter disponi: sicut priuilegia alia sunt S. Officio concessa, & praesertim pro Indiis. Sed prudenter non factum, quia ut talis exceptio fieret non occurrit specialis conuenientiae ratio, & generaliter conueniens est ne alij aliorum odio praegrantentur, ut habet notissima Regula. In hoc autem, sicut in multis aliis, exceptio singularis casus facienda est: talis enim potest occurrere, ut auocatio talis expediat: unde praesumendum non est id esse Inquisitorum detractum penitus potestati, quibus ampliora alia concessa reperiuntur. Et Capituli praesentis tenor talis est, ut exceptionem huiusmodi patiatur.

Iuxta communi lres.

Indices an possint vltro causis ad Inquisitionem remittere.

Partes quando possint in iudicem consentire.

Cap. Significasti, de foro compet.

Circa Decimum-quintum.

62 Illud nempe: Que los Inquisidores tengan mucho cuidado de nombrar por Familiares y Ministros de la Inquisición personas quietas, de buena vida, y exemplo. Cuius ratio in promptu est, & id iam pridem prouiderat Ioannes XXII. in

quadam Constitutione, quae incipit: Exigit ordinis, & extat post Directorium Inquisitorum: sic enim ibi: Discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus neminem Familiarem, nisi eiusdem Ecclesiae fidelem ac deuotum & laudabilis conuersationis & vitae habere quomodolibet praesumatis. Addit Simancas Titulo 41. num. 15. eligendos viros bonos & pacificos, & in Hispania, iuxta quamdam supremi Senatûs Epistolam, vxoratos: hoc tamen vltimum in Indiis non seruatur generaliter. Non item alienigenas futuros addunt alij apud Carenam Parte 1. Titulo 14. numer. 3. & hunc esse vnum ex casibus, in quibus Inquisitor diceretur abuti facultate concessionis armorum, ex qualitate personarum. Quod pro Indiis praecipua est animaduersione dignissimum, in quas alienigenae confluere solent.

Ioannes XXII.

63 Quinam autem extranei censeantur, factis ex legibus Hispaniae notum, dum per eas solùm ad Castellae & Legionis regna pertinentes, censeantur naturales, quibus addendi Nauarrenses, quia eisdem vtuntur legibus. Vnde his diebus pro magno habitum naturalitatis priuilegium, Dertulensi Ciuitati concessum, quod adducit Don Ambrosius Ros in suo eleganti & erudito Monitorio ad suos Catalannienles. Carpit autem incuriam nostram Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 2. Cap. 5. numer. 54. propter quam plures alienigenas, quam naturales in illis versari conspiciamus, & discere. Addit autem in Politicâ Libr. 3. Cap. 6. Col. 2. 5. Al qual derecho, Paz. 283. id quod in causam praesentem facit, dum ait: Las quales pro nuestro gran desuydo, pueblan y desfrutan por mayor parte gentes estranas de todas naciones, y entre ellas (loque es de mayor sentimiento) de las reueldes a Dios, y a su Rey. Hæc ille. Iuxta quæ satis apparet quam debeat circa hoc, de quo agimus, DD. Inquisitorum circumspectio vigilare.

Quinam extranei censeantur.

Dom. Solorzanus.

Circa Decimum-sextum.

64 Cuius illa sunt verba: Que en la Vera-Cruz per ser puerto principal, y escala del Reyno de la Nueva-Espana, aya un Alguacil de la Inquisición, el qual goze del suero della como Familiar: y los Alguacilos que vbiere nombrados en las otras Ciudades, Villas, y lugares de esos Reynos de las Indias, se quiten luego. Huius Capituli conuenientia iuxta priorem illius partem in eodem redditur, non ita posterioris: ea autem esse videtur ne multitudo Ministrorum extet, quorum exemptio circa forum praedicialis esse potest: unde & circa hoc etiam Sacri Canones prouiderunt: & est praesertim pro eo Clementina II. de hæreticis. 5. Finali, ibi: Nec Officiales nisi sibi necessarios habeant. Clem. II. de hæret.

Tollendos Alguacillos S. Officij vno excepto.

Clem. II. de hæret.

qui enim Maiores Alguacelli dicuntur, viri honesti sunt; & alij cum Inquisitoribus assistant, & in ætate competenti sint, nihil indecorum moliantur.

Cur non executioni mandati, & de Maiores Alguacelli conuenientia.

65 Hac fortasse de causâ Capitulum dictum quoad remouendos, & penitus tollendos Alguacellos non est executioni mandatum; & Maiores S. Tribunalis Alguacelli a Generali Dom. Inquisitore eliguntur, quibus & congruum salarium assignatur. Licet autem per Familiares possit, quod ad comprehensionem hæreticorum, & aliorum delinquentium attinet, exerceri; ad hoc enim eorum est officium institutum, ut ex Emerico, Salcedo & Bernardo Diaz probat citatus scriptor Tit. 11. n. 12. Pro Inquisitionis tamen S. Tribunalis decoro & maiestate congruentissimum est, ut Ministros peculiare habeat, qui virgâ Regali simili, ei scilicet, quâ Regij Ministri vtuntur, & verò etiam Regali ipsâ, cum in eâ Regis etiam auctoritas suam pariter potestatem tribuentis, eluceat, insignes habeantur. Hæc enim ratione etiâ armatos seruos in comitatu habere posse diximus n. 43.

Circa Decimum-septimum.

Circa qualificatores Religiosos ex Hispania transeuntes.

66 Hæc clausum verbis: Que los dichos Inquisidores a ningun Religioso, que no aya pasado a aquellos Reynos con licencia sua y de su Prelado. Nescio an hoc penitus obtineat. Et in primis videri alicui posset sensum praedictorum verborum esse ut nulli alij Religiosi in Qualificatores assumantur, nisi qui ex Hispania cum Regis & Praelatorum transierint facultate. Sed hoc sustineri nequit, quia ex eo duo satis intoleranda sequuntur. Primum, in Indiis natos Qualificatores esse non posse; cum tamen sint multi eo honore dignissimi, siue puritate sanguinis, siue probitatem morum, siue doctrinæ ornamenta conquiramus. Secundum, eos, qui in Hispania nati, Religiosum habitum in Indiis susceperunt, non posse Qualificatores designari. Quod si staret, in eorum numerum non fuisset adiectus, nec tali me fuissent humanissimi Domini honorificâ, & penitus vltro neâ assumptione dignati. Non ergo talis Capituli sensus, sed genuinus ille & certus, nullum Religiosum ex Hispania in regiones istas appulum, Qualificatore eligendum, qui sine geminâ illâ licentiâ deueniret; quia vtraque, aut alterutra defuiturus, non bonam de se exhibet suspitionem. Et est circa hoc valde notabile id, quod ex Ioannes XXII. Extrauagante proponit Cæsar Carena Part. 2. Titul. 17. n. 26. scilicet inter casus vehementis suspitionis hæresis; non infimum locum tenere illum, cum Regulares sine licentiâ ultra mare proficiscuntur. Sic ille in Indice absolute affirmat, verb. Regulares: sed attendenda alia, de quibus ibidem.

Quales de illis suspicio qui sine licentiâ id faciunt.

Recedentis sine licentiâ, qua pena.

Conc. Triid.

67 Deinde, licet transiens sine Superiorum licentiâ nullatenus ad honorem praesatum debeat admitti, quia neque ad alia, sed potius ob recessum talem puniri, ut disponit Concilium Tridentinum Sessio 25. Cap. 4. de Regularibus, dum sic ait: Nec liceat Regularibus a suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum raramquam deservit sui Insistenti

procuratur. Sic Concilium. Licet etiam Pontificia prohibitio sit, eaque sub excommunicationis latae sententiæ poenâ, ne quis sine Regis licentiâ in Indias transgrediat: si tamen Religiosus in suo Conuentu diu vixit, & iuxta Religionis muneribus est perfunctus, non est de praedictâ licentiâ scrupulosius inquirendum, quia praesumi merito potest. Sicut enim in aliis ex huiusmodi actionibus praesumptio firmatur, ut ex gestatione habitus Professori, & exercitio eorum, quæ talibus propria esse solent, animus profitendi, sicut & admittendi illum, & diligentia adhibita ad ea, quæ pro valore Professionis necessaria sunt, iuxta communem scribentium doctrinam, & sic in aliis; ita & in presenti licentiâ praesumi potest. Et quod ad licentiâ Regis attinet, prohibitionem Pontificiam non esse vsu receptam iam vidimus cum bonæ fidei scriptoribus Titulo 12. num. 131. Cum autem Capitulum de solis Qualificatoribus loquatur, circa Ministros alios prohibitio non procedit, si accuratum pro eorum sufficientiâ examen accedat. Sic Commissarios Religiosos vidimus non Hispanos, qui magnâ cum satisfactione Tribunalis sancti processerunt. Vnde & Ministri alij assumi poterunt, qui ad ministerium non ita honorificum, & confidentia tantæ deliguntur.

Vnde illa procedit.

De Ministris alijs non procedere Capituli.

Circa Decimum-ottauum.

68 Quod etiam circa Qualificatores procedit, & sic habet: Que siendo Calificador de la Inquisición algun Religioso, si a su Prelado se gaciere mudar a otra parte por algunas consideraciones, los Inquisidores no solo impidan. Sunt & pro hoc priuilegia aliqua id generaliter continentia; ut scilicet mutatio Religiosorum prohiberi a nullo queat, quicumque ille fuerit, cum illa ad Religionis bonum vita fuerit expedire. Et Societas nostra illud speciale, de quo in Compendio communi, verb. Exemptio. 5. 3. in quo de Inquisitoribus fit mentio specialis, quatenus nequeunt ad quoduis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, absque expresso sui superioris consensu, ac etiam mandato, adigi, vel cogi. Quod quidem alia multæ participant Religiones. Sed Societas illi renuntiauit quod a Gregorio XIII. fuerat non multo antè concessum, in Congregatione Generali quintâ, ut constat ex illius Decreto 21. quia ita sibi gratum fore, ab affectum singularem in S. Inquisitionis Tribunal, eidem Congregationi significauerat gloriosissima memoria Rex noster Philippus II. Possunt ergo in Hispania DD. Inquisitores quoduis officium, munus, aut exercitium Religiosis Societatis committere, quod eorum congruat Professioni. Possunt & alij: quia licet communis sententia sit amisso priuilegio vsu ab eo, cui fuit concessum, non amitti respectu eius, qui communicationis prerogatiuâ perfuitur, ut videri potest apud Emmanuelem Rodericum Tomo 1. qq. regul. quæst. 55. artic. 19. quem plures alij sequuntur. In nostro tamen casu aliter res habet, quia non est credibile contra voluntatem Regis Catholici velle Summum Pontificem priuilegium per communicationem haberi a Religiosis omnibus, cui Societas renuntiauit. Et Regis quidem talem voluntatem fuisse,

Qualificatores Religiosos posse a Prelatis mutari.

Speciale priuilegium Societatis, cui & ab ipsa renuntiatum.

Quid inde Inquisitores possint.

Religionibus alijs obstat processu dicta renuntiatio.